



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

§. 5. Satisfit Dubiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

Quarto. Cum semiplena probatio est, puta si notorio crimini accedat unus testis omni exceptione maior, contra quam Sotus & Navarrus velit.

Quinto si læsus quærelam offerat, & testes vel indicia, quibus cognitio fulciatur, & informetur iudex, *Iul. Clarus* q. 10.

Sexto quando Syndicus, stationarius, vel quisvis officialis denunciat iudicialiter, indicia & testes indicat. Nihil autem permittitur illis denunciare, nisi bona fide putent per indicia, vel testes probati posse.

Septimo, quando pars crimen obiicit testi, ut ad verus illum excipiat, & illud probat, quamvis non omnino plene, quia probatio talis suspectum illum facit, & loco infamiae est. *Iulius Clarus* q. 19.

Octavo, Cum quis intentat actionem civilem, ut sibi damnum sarcatur ex delicto, v.g. homicidio. Poterit enim contra delictum illud iudex procedere utpote iam notorium. *Iacob de belviso in practican.* 28. *Rubr. de caus. crim.*

Nono si delictum sit commissum in ipso iudicio, quia talis confessio inducit notorium iuris. *c. 1. de accusat. an. 6.*

Decimo denique quando pars, vel testis coram iudice incidenter fatetur delictum aliquod. Licet enim ex ea confessione damnari nequeat, aperit tamen viam iudici ad inquirendum de tali crimine, absque alia accusatione, vel quærela. *Iul. Clarus lo. cit. l. ff. 6.*

29. *dub. 16. Fill. tra. 40.*

66.

§. 5.

Satis fit dubius de Inquisitione.

Dub. 1. Quænam indicia sufficiant ad inquisitionem specialem?

Clarus in §. fin. q. 20. n. 2. de iudiciis certam regulam non posse dari pronunciat, sed totum relinquit arbitrio boni viri, scilicet iudicis, qui secundum qualitatem personæ, delicti, & suspicionum discernat, an sit iudicium sufficiens, an non. Nihilominus tres gradus subiungit, ita ut indicatorum alia sint levia, alia gravia, alia gravissima. Quæ verò talia sint, non audeat definire. *Paris de puteo à Silv. allegatus V. indicia n. 1.* Indicia levia vocat, quibus contingit frequenter abesse veritatem. Gravia quibus contingit frequenter adesse veritatem. Gravissima, quibus non dubitatur ad veritatem. *Barol. in lib. ea quidem C. de accusat.* duo membra faciens iudicium plenum vocat, in quo tanquam vero animus quiescit, nec plus investigare curat: semiplenum vero præsumptionem, quæ fortiter moveat animum ad aliquid credendum, vel dicendum. His positis, quia certius nihil invenio, ad dubium propositum.

R. Ad inquisitionem specialem illa tantum indicia sufficere, quæ & publica & minimè levia sint, consideratis omnibus circumstantiis, in illis criminibus, quæ tendunt in damnum animarum, aut reip. ubi haud dubiè non quilibet, sed probatissimus iudex necessarius est, qui ut Mosconius loqui-

tur, duplici sale conspersus sit, scientia, & conscientia; dilectionis & devotionis. *Azor* III. l. 13. c. 26. *Sanchez* l. 6. *consil.* c. 3. *Dambaud* in *practica crim.* c. 10. *Pillut.* 1748. 40. c. 6. q. 13. l. 1. c. 29. *dub.* 17.

Dub. 2. An liceat in religiosos inquirere absque pravia infamia?

Vulgi error est, religiosos, quia mundo, & carnis bonis renunciarunt, omnem quoque nominis, & famam curam abiicere, ac proinde multo facilius ad iudicia trahi, infamari, vexarique posse. Aliter sapientes & Theologi dicunt qui cum *S. Tho.* 2. 2. da. q. 186. art. 2. honorem, & famam non pertinere ad bona temporalia, quibus solis renunciat religio: aprofessio. Quamobrem *Arnulphus* in *inquisitio* n. 11. praeclare inquit. Religiosi licet non teneantur sequi apices iuris in iudiciis, & electionibus, tenentur tamen servare ea, quae sunt de essentia iuris, ut, quod non procedant sine accusatore infamia, & huiusmodi. Praeter *a Rodericus* IV. tit. 8. c. 12. graviter arguit visitatores, qui de crimine occulto per tres, aut plures testes patefacto non tamen praecedente infamia condemnant, & puniunt sibi subditos religiosos. Sic enim fieri posse, ut alii subditi committant peccata publica, & scandalosa, sic permittente Deo, ut quia contra legem divinam, & sacros Canones, quae occulta servare oportuit publica faciunt, religio coram hominibus amittat splendorem suum, quem ipsi illi rursus procurare intendunt. In eundem finem respiciens *Fagundes* in *prac.* 8. c. 48. docet, mortaliter peccare Praelatos, cum absque accusatore puniunt suos, nec ullum ex Deum timentibus

Prælati id facere. *Sayrus* l. 11. c. 12. *Sancti* l. 6. *consil.* c. 3. d. 25. *Carb.* in c. *Qualiter de accus.*

Quem ergo modum procedendi servabunt? R. Iuris regularium peritimonent l. apices iuris, & solemnitates exquisitas negligi posse, secundum indulta supremorum Pontificum, quae verò ad substantiam, seu essentiam iudicii spectant, oblevanda esse. 2. non facile admittendus est iudicialis processus, sed quantum fieri potest summarie & de plano cognoscendae & dicendae lites sunt. Si tamen res exigit, adhiberi potest, servatis, quae in iudicio saeculari solent, nisi quod non semper accusatore formalis opus sit. 3. in dubio, cum nihil certi ex denunciatione, & inquisitione sua Praelatus habet, non potest poenam infligere, & urgere, sed potius bonam opinionem habebit de suspectis, quorum nomina detulerunt, non multa fide digni zelatores. Hinc *S. Tho.* q. 60. art. 4. duo iudicia distinguens, aliud secundum suppositionem, aliud secundum determinationem. Iudicium suppositionis, ait locum habere in visitationibus, ubi audiuntur varia, & incerta crimina, pro quibus supponendo facta, vel facienda, remedia superiores disponunt. Iudicium determinationis de certa nimirum persona, si dubium fuerit, in meliorem partem inclinare debet superior, ut peccatum temeritatis, & iniustitiae evitetur. Integrum tamen manet pro futuro disponere circa personam delatam eaque & ipsi & communitati salubria forent. Cavendum verò imprimis, ne claudendo unum foramen, aliud aperiant.

nant v. g. ad alium Conventum mit-
tendo fratrem, cuius discessio scanda-
lum & suspicionem vulgi auget, quod
nunquam ferè in melius accipere reli-
giosorum gesta solet. S. Tho. 1. cit. Caiet.
ibid. Soto. l. 5. q. 4. Corduba. Antoninus. Silv.
& alii Summistæ. DD. in c. Qualiter, & quan-
do De accus. Navar. in Rubr. de iudic. Roderic.
17. tit. 6. & 8. Lugo D. 36. sect. 7. n. 73.
Suar. xv. l. 10. c. 12. Spatharius in Methodo
Tr. 6. Chislerius de iud. Regular. c. 16.

Dub. 3. An præcedere infamia de-
beat, quando inquiritur de habilitate &
inhabilitate ad officia?

R. Id per se non videri necessarium
quia in eiusmodi examine de meritis, &
demeritis personarum inquirunt supe-
riores, nec intendunt aliud, quam cog-
noscere qualitates, & talenta, quibus
præditi esse debent promovendi, adeo-
que parum curant de factis particulari-
bus, quod si infamatus quis esset, de
supplicio potius, quam officio delibe-
rarent.

Quemadmodum igitur, ubi de ma-
trimonio ineundo cum hac vel illa per-
sona agitur, Iudici inquirere licet, an sit
impedimentum aliquod, c. postquam. c.
Cum dilectus de elect. & c. fin. de cland. de-
spof. licet etiam prælati eorum, quos eli-
gere, & officis ornare vel onerare vo-
lunt, merita & demerita explorare pos-
sunt absque ulla infamia, quæ præcesse-
rit, quin potius ad bonam æstimatio-
nem, quam de illis alii habent, attende-
re solent.

Idem de episcopis affirmat Maranta
pag. 136. n. 32. qui quando informatio-
nem capiunt de vita, & moribus eli-
gendi, vel promovendi ad ordines, an

sit idoneus, ex officio procedunt nulla
præeunte infamia secundum. Abb. in c.
1. de off. ordinarii, & Specul. in tit. de inquisi-
tione. §. Quando. Quin etiam hodie mul-
tis in locis consuetudine contraria abo-
litum censet cum Iul. Claro Fill. Tr. 40. c.
6. q. 11. ut non nisi præcedente infamia
Iudex in malefactores inquirat.

Dub. 4. An sufficiat infamia super-
veniens iam incarcerato, cum prius nul-
la esset?

R. non sufficere, quia superveniens
infamia ex ipso Iudicis facto oritur, qui
illam non invenit, sed reum mittendo
in carcerem causavit, quo quidem mo-
do de occultis criminibus, inquirendo
& capiendo innocentissimum quemque
infamem reddere posset. Si tamen pri-
us parva infamia latebat, & per occasio-
nem illam emergit, effectum habebis,
ut alia quælibet antecedens. Navar. in
c. Inter verba Coroll. 62. nu. 69. Sanch. l. 6.
Consl. c. 3. Dub. 26. Card. Lugo Disp. 37.
sect. 6. n. 68.

Quam lubricum & periculosum sit
iudicium ex fama captum, quantâ opus
cautela sit ad evitandam iniuriam & al-
ia peccata, novissimè satis exposuit &
opposuit practicus nostris auctor Cau-
tionis criminalis Dubio 34. quem pro-
dierit legisse.

Dub. 5. Qualis notitia infamiae suffi-
ciat Iudici ad inquisitionem?

Difficultatem parit modus cognos-
cendi. Velenim iudicialiter cognoscen-
da & probanda infamia est, vel non sit
iudicialiter, iam sine inquisitione proce-
dimus, vel alia fama præcedere debet, si
non iudicialiter, accusatio extra iudiciū
facta ad citandū reum, audiendos testes

& similia, sufficere, quod admitti non potest, & periculosum est.

R. Iudex infamiam cognoscere potest duobus modis. Primo per seipsum, quando ad aures ipsius clamor penetrat. Secundo per duos vel tres, qui denunciant hunc vel illum infamatum esse. Quando priore modo cognoscit, clamor initium facit inquisitioni futurae: quando posteriore infamatio iudice probanda est: neque tamen à iudicio tunc inchoatur iudicium, ut aliqui timent, sed à denunciatione, qua habita ad iudicam probationem compelluntur, qui denunciarunt infamatos.

Hinc sequitur minimè admittendum quod Angelus asserit. v. *Inquisitio n. 4.* Iudici in tribunali sedenti adferendam infamiam esse, ut ea cognita ad inquirendum procedere queat: cum nihil vetet, quolibet in loco ad aures ipsius clamorem pervenire, vel etiam querelam, unde ad procedendum ulterius exciteretur.

Dub. 6. An tota Iuris pœna imponenda sit, cum via inquisitionis proceditur?

R. *Vallensis l. 3. tit. 1. §. 4.* multum referre per inquisitionem vel accusationem probari delictum. Nam per accusationem probata pœna ordinaria imponitur, si verò per inquisitionem cognitum & probatum fuerit, licere iudici arbitrato suo pœnam moderari, secundum personæ merita, & delicti qualitatem: c. *Inquisitioni cir. in it. de accusat.*

Excipe, nisi eiusmodi delictum fuerit, quod executionem ordinis impediat, aut peccantem beneficio indignum reddat, ut si quis per inquisitionem

probaretur esse simoniacus. Nam in his duobus casibus non permittitur iudici arbitrium mitigandi pœnam à Iure constitutam, sed in priore fit depositio, non secus atque in iudicio per accusationem in posteriore autem fit privatio nulla indulgentiæ, dispensationis vel diminutionis habita ratione. c. *Sanè 15. q. 3. & c. cita. Inquisitionis de accus.*

Ita Vallens. verè si ius Canonicum attendis. In iure Civili enim, si plenè probatum fuerit crimen etiam in via inquisitionis, integra pœna infligitur. l. 1. c. *de abolendis.* Gomez. 10. III. c. 1. n. 51. Navar. 6. Inter verba Corollario 48. n. 382. Mayanta Par. 4 §. *Iudicior. prima. n. 25. & sequ. Sanchez. l. 6. consil. c. 3. Dub. 40.*

§. 6.

Alii duo modi procedendi.

I. Quoniam contingit aliquando peccantem in ipso actu deprehendi, quemadmodum Zambri cum scorto Madianitide Numer. 25. v. 7. Item subinde notorium esse factum, ut nulla arte vel tergiversatione celari queat, iudici præter enumeratos in superioribus modos hi duo quoque ad vindictam malefactorum serviunt, ita ut non servato Iuris & iudicii ordine procedere queat ubi tamen observandum, quod sola deprehensio, ut loquimur in flagranti, non adfert plenam probationem ex qua condemnetur, sed semiplenam tantum, quæ sufficiat ad capturam, & torturam, in qua ne modus excedatur, consulitur Iudici, ut reum ad se adductum interroget primò un fateatur? si
ita